

3. *An prudenter egerit in casu?*  
4. *Quomodo nunc agendum cum his duobus pueris?*

Sempronius Parochus hujus archidiececesis quando matrimonii assistit, nunquam sponsis applicat missam quam postea celebrat, putans solam celebrationem missae esse praescriptam a rubricis generalibus, non vero applicationem. *Quaeritur quid de hoc sit sentiendum?*

MENSE OCTOBRI.

Sempronius parochus summo zelo procurat conversionem plurimorum hereticorum in sua parochia commorantium. Tandem convertuntur Caius anglicanus, Titius presbyterianus et Hubertus methodista. His omnibus confert baptismum sub conditione, sed praeteritorum peccatorum confessionem non exigit nisi a Titio et Huberto, propter majus dubium de validitate prioris baptismi; Caium autem ad communionem admittit absque confessione. Haec audiens Robertus, parochus vicinus, Sempronium fraterne monet non esse admittendam talem distinctionem et omnes pariter conversos ab heresi adigendos esse ad susceptionem sacramenti poenitentiae antequam ad communionem admittantur. *Quaeritur:*

1. *An omnes conversi ab heresi sint baptisandi sub conditione?*  
2. *An omnes illi sint cogendi ad confessionem suam praeter mortalia et absolute non recipiantur antequam admittantur ad communionem?*  
3. *Quid de agendi modo Sempronii in casu?*

Quidam laicus Sempronium parochum adit et narrat filium suum hesternae die a vicario ebrio baptisatum fuisse et petit ut iterum baptisetur sub conditione. Interroganti parochus respondet laicus omnes quidem ceremonias externas sibi videri rite factas fuisse, et verba, praesertim formae, distincte pronuntiata, sed se maxime anxium esse de valore sacramenti.

Interrogatus vicarius non recordatur se baptisasse puerum hesternae die.

Actus in registris inscriptus essentialia quidem continet sed scriptura valde deformis est et stylus irregularis.

Quid agendum?